

MICHAŁ SWOBODA

DE INCANTAMENTIS ET PRECATIONIBUS  
IN VETUSTISSIMA ROMANORUM POESI OBVIIS

I

In vetustissima poesi Romana de hymnorum vestigiis tantum duabus de causis dicere possumus: Primum, quod maior antiquissimarum Romanarum litterarum pars non est servata. Omnia enim religiosae naturae carmina ad haec studia corroboranda praecipue apta viderentur, si ad nostram aetatem pervenissent. Deinde, quod servatis antiquissimae poësis fragmentis maximam partem precationes et incantamenta continentur, in perpaucis autem singulae partes inveniuntur, quae nobis hymni proprietates in mentem redigant. Huc pertinent carmina Saliorum et Fratrum Arvalium, praecipue carmen a Livio Andronico anno ducentesimo septimo a. Chr. n. conscripta, de quo Livius *a.U.c.* XXVII 37 scripsit. Idem rerum scriptor alio loco (*a.U.c.* XXXI 12) P. Licinium Tegulam, carminis anno ducentesimo compositi auctorem commemorat. Vetustior praeterea scriptor Christianus Isidorus Hispalensis in etymologici operis, quod *Originum libri XX* inscribitur, libro primo (I 39, 17) nomen Merumniae, hymnorum poëtriae laudavit, sed huiusce poëtriae persona et opus litteratum omnino ignota nobis sunt. Quae Ennii aequalis fuisse dicitur. At Livii Andronici carmen a viginti septem pueliarum choro in pompa per urbem euntium cantum est. Secunda pars descriptae a T. Livio sollemnisi suppli- cationis sacrificium a matronis Iunoni in Aventino oblatum fuit. Praeter sacrificium aurea pelvis ex mulierum stipibus collatis facta deae dono data est<sup>1</sup>. Denique pompa facta est, in qua ab Apollinis aede in urbem duae boves albae ducebantur, pone eas duo Iunonis reginae signa cupressea portabantur. Viginti septem virgines insuper longas induitae vestes carmen in Iunonis reginae honorem cantantes ibant. Virginum ordinem decemviri laurea coronati praetextatique sequebantur. A porta Carmentali pompa vico Iugario in forum venit et in foro constitut. Virgines tum carmen canebat sonum vocis pulsu pedum modulantes. Inde vico Tusco Velabroque per forum Bovarium in clivum Publicum usque in Iunonis reginae templum perrectum est. Carmen, quod in pompa canebaratur, a Livio ad criticam rationem aestimatum est<sup>2</sup>. Alter chori carminis poëta secundum Livium (*a.U.c.* XXXI 12) fuit P. Licinius

<sup>1</sup> Cf. R. Wünsch, i.v. *Hymnos*, RE XVII Halbb., Stuttgart 1914, col. 175.

<sup>2</sup> Cf. T. Livius *a.U.c.* XXVII 37 fin.

Tegula, vel etiam Licinius Imbrex, palliatae auctor, qui idem atque hymni in Iunonis reginae gloriam conscripti poeta habebatur. De Licinii hymni, similiter atque de Merumniae hymnici carminis artificio nihil scimus. Similiter res se habet cum singularis proprietatibus et compositione omnium adhuc enarratorum hymnorum, quos exstitisse quidem scimus, sed quibus indicis enituerint, omnino ignoramus. •

Proprietates quaedam hymnicae clarius se ostendunt in primo *Carminis Saliorum* demum fragmento<sup>3</sup>:

*divum + empta cante, divum deo supplicate*

Quod fragmentum haud dubie corruptum precationis aut hymni initium esse putare possumus. Reliqui huius carminis versus continent apostropham ad Martem aut fortasse Iovem (*Leuccesie*) et dei potentiam definiunt. Invenitur in hoc fragmento etiam apostropha ad Solem (*Ozeal, o domine*). Epitheti autem partes verba: *es omnium pater* agunt. Verba, quae deinde leguntur: ...*Patulci, Cloesi es ianeus, ianes es!* secundum Macrobi Sat. I 9,15 et Servii ad Verg. Aen. VII 610 opinionem ad Ianum pertinent. Ultimi *carminis Saliorum* versus Iani virtutes laudant [aretologia]. Enarratum igitur carminis fragmentum precationis aut hymni prooemium et expositionem continet. Fragmenta *carminis Fratrum Arvalium* dissimiles proprietates et aliam compositionem ostendunt. Indigitamenta potius quam precationem aut hymnum in mentem redigunt. Apostrophae ad Lares et Martem cum precibus coniunctae ter iterantur, epodos autem (*Triumpe*) quinquies. Hymni advocantis Tiberino dicati initium in frg. 2 inc. auct. (Mor., p. 5) invenimus: *Adesto, Tiberine, cum tuis undis.* Secunda huius fragmenti pars vocati dei naturam quodam modo exprimit. Sed singularis quaedam ad Iovem apostropha in Q. Valerii Sorani frg. 3 (Mor., p. 41) manifesta est. Quam precationem secundum Aurel. Augustinum (*Civ. VII*, 9) Varro in libro ad cultum deorum pertinenti interpretatus est. Commemoratae precationis verba sunt haec: *Iuppiter omnipotens regum rerumque deumque (progenitor genetrixque, deum deus, unus et omnes.* Clarissimus collega meus Posnaniensis Georgius Danielewicz in citati fragmenti dicendi ratione Pythagoreorum bimembrium antitheseon vestigia et hymnorum Orphicorum similitudinem conspexit. Quae summi pretii animadversio Varronis interpretatione a S. Augustino *Civ. VII*, 9 allata sine ulla dubitatione corroborata est. Sed ignotae nobis sunt aliae laudatae precationis partes, quapropter utrum in hoc fragmento de hymno, an de prectione tantum agatur, difficile est diiudicare.

Verae precationis exemplum memoriae tradidit Cato *Agr.* 141<sup>4</sup>. Quae ex apostropha, epitheto (*Mars pater*), duobus verbis precandi (*te precor, quaesoque*), precibus constant. Subiectivam, ut ita dicam, enarratae precationis partis naturam ostendunt hae voces: *mihi, domo, familiaeque nostrae.* Sequentibus versibus predicator

<sup>3</sup> Fragmenta affero secundum editionem: *Fragmenta poetarum Latinorum* edidit W. Morel. Stutgardiae 1963, p.l. Ae. Baehrens. *Fragmenta poetarum Romanorum*. Lipsiae 1886; A. Ernout. *Recueil de textes latins archaïques*. Paris 1947 p. 107.

<sup>4</sup> Videas velim: *Poetarum Romanorum veterum reliquiae* selegit E. Diehl, Bonn 1911, fr. 2, 1-13. p.3.

vota a se expleta esse confirmat (*quoius rei ergo agrum terrae fundumque meum suovitaurilia circumagi iussi*). Dueae quae sequuntur preces eandem coniunctionem *uti* repetunt, verba autem precandi varia adhibent. In prima enim prece exstant verba *prohibessis, defendas, averruncesque*, in secunda autem verba *siris servassis* duisque conspicua sunt. Supplex orat, ut dei valetudinem dent, omnes calamitates prohibeant, opulentas fruges praebeant, pastores et pecudes salvas servent. Cum bonam valetudinem sibi et familiae suae precaretur, eadem atque antea verba (mihi domo familiaeque nostrae) repetivit. Explicata modo precatio sacram efficit formulam, quae ipsum sacrificium factum antecedit, id quod his verbis demonstratum est: *harumce rerum ergo, fundi terrae agrique mei lustrandi lustrique faciendi ergo, sicuti dixi, macte hisce suovitaurilibus lactentibus inmolandis esto: Mars pater* (hoc loco apostropha plane iteratur) *eiusdem rei ergo macte hisce suovitaurilibus lactentibus esto!*

Precationum vestigia in antiquissima quoque epica poesi Romana invenimus. In Ennii *Annalium* libro primo (fr. 18 Diehl, p.19) legimus haec:

Te sale nata precor, Venus, et genetrix patris nostri,  
ut me de caelo visas cognata parumper.

His verbis sine ulla dubitatione Ascanius Venerem precabatur. Allata precatio continet apostropham (*Venus*), epithetum cum mentione genealogica (*te sale nata*), hypomnesin (*genetrix patris nostri*), etiam in secundo versu adiectivo *cognata* locupletatam, verbum precandi (*precor*) ipsam denique precem hoc exemplo: *ut me de caelo visas [...] parumper*. Precationem invenimus in sequenti quoque fragmento (fr. 19 Diehl, p. 19):

*Teque pater Tiberine tuo cum flumine sancto,*

quae simillima est quidem fragmento supra enarrato (fr. 2 Mor., p.5), sed precationis cuiusdam ad plures deos directae partem esse suspicari audeo. Alio fragmento (fr. 35 Diehl, p. 20) precationis Romuli initium continetur. Quod constat ex duplicata apostropha (*o Romule, Romule die*), epitheto relativo enuntiato expresso (*qualem te patriae custodem di genuerunt*), quod non solum Romuli potentiam et divinam originem definit, sed etiam demonstrat, cur supplex praecipue Romulum precetur. Exstant in eadem preicatione alia etiam epitheta, ut *o pater, o genitor, o sanguen dis oriundum*, quorum proximum iterum divinae originis significationem continet. Extremus precationis versus (*tu produxisti nos intra luminis oras*) hypomnesis officio fungitur. Apostropha et epitheta tantum servata sunt in alterius precationis fragmento Enniano (fr. *Ann. XVII* 169, Diehl, p. 29): *o genitor noster Saturnie, maxime divum.*

## II

Precationum reliquiae in scaenicae poësis quoque fragmentis occurunt. Quae adeo variae sunt, ut de singulis generibus in ordinem quendam redactis disputare arrideat. A Romanorum tragœdia igitur initium sumamus.

Precationem dramatis personæ in patriam peregre redeuntis in mentem redigit apud Ennium (inc. fr. XVII Ribb., p. 75) apostropha: *O Terra Traeca, ubi Liberi fanum includum Maro locavit.* In eisdem incerti nominis reliquiis (fr. XLI Ribb., p. 81) precatur aliquis, ut di parentem et patriam servent. In hoc fragmento apostropham et preces conspicimus, verbum precandi autem (*servate*) modo imperativo est. Non desunt precatoria fragmenta in singulis quoque Ennii tragœdiis. Precatione Iovis usus est Ennius in tragœdia, quae inscribitur *Hectoris Lutra* (fr. III Ribb., p. 37). Quae ex apostropha (*omnipotens < Iuppiter >*), verbo precandi (*te exposco*), precibusque, pleno enuntiato finali expressis constat. Sola apostropha cum epitheto permansit in Ennii *Hecuba* (fr. II Ribb., p. 41). Agitur de precationis initio *O magna templa caelitum*, quod simile est verbis. quibus Hecuba in Euripidis tragœdia deos invocat (Eurip. *Hec.* 68 sq.)<sup>5</sup>. Precatio in Ennii *Medea exule* (fr. XIV Ribb., p. 56) prima verba carminis chori in Euripidis *Medea* 1251: *ιὼ Γα τε καὶ παμφάλης ἀκτὶς Ἀελίου* in mentem redigit et continet duas apostrophas, ad Iovem et Solem, quem summum poëta appellavit. Reliqua epitheta relativis enuntiatis expressa cum ad Iovem tum ad Solem pertinere possunt. Tertio enarrati fragmenti versu duae preces et duo verba precandi (*Inspice hoc facinus, priusquam fiat: prohibesseis scelus*) continentur. Tria praeterea brevia precatoria fragmenta in incertorum poëtarum fragmentis exstant: VII Ribb., p. 274<sup>6</sup>; CXLII Ribb., p. 315<sup>7</sup>; CXIX Ribb., p. 310. Primum fragmentum apostropham ad Apollinem et duo epitheta in relativi enuntiati forma habet. Quorum primum de dei cultus loco dicit, secundum autem aetiologicam, quae dicitur, naturam ostendit. Secundum fragmentum ex apostropha (*divi potentes*) et precibus constat. Tertium apostropham ad Bacchum (*Liber*) habet et relativum, quod sequitur, enuntiatum epitheti loco adhibitum dei cultus regionem clarius describit (*qui auguste haec loca Cithaeronis colis*).

In Pacuvianæ tragœdiae fragmentis duo tantum exstant loci, qui precationi similes videantur. Pacuvii *Medium* (fr. II Ribb., p. 119) dico, in qua apostropham ad Solem, verbum precandi (*te invoco*) et preces finali enuntiato confessas invenimus. Secunda precatio hausta est ex fabula prætextata *Paulus* inscripta (fr. I Ribb., p. 325) et ex apostropha (*Pater*) et duobus epithetis (*supreme, nostrae progenii patris*) constat. Verba *nostrae progenii patris* decurtata quidem, sed hypomnesis quoque partes agere arbitrari nos sinunt.

<sup>5</sup> Quam similitudinem iam Scaliger conspexit. Cf. *Ennii inc. fab.* fr. XXXI et CXXVII Ribb., p. 79 et 312.

<sup>6</sup> Cf. *Trag. inc. fr.* 4 Diehl, p. 89.

<sup>7</sup> Cf. *Trag. inc. fr.* 40 Diehl, p. 92.

Pii gemitus potius quam precationis Pacuvii discipulus Pompilius auctor est. Cuius fragmentum (fr. I Ribb., p. 263) Fortunae missum est. Poeta deam invocat et interrogat, qua de causa calamitatibus prematur.

Maiorem admirationem movent exempla, quae in Accii fragmentis inveni. Primum *Phoenissarum* fragmentum (Ribb., p. 244):

Sol, qui micantem candido curru atque equis  
flammam citatis fervido ardore explicas,  
quianam tam adverso augurio et inimico omine  
Thebis radiatum lumen ostentas tuum —?

in primis soliloquio Iocastae in Euripidis *Phoen.* 1 sq. simillimum est. Ut in exemplari Graeco, ita in Accii fragmento huiusce soliloquii initium hymni naturam habet. In Accii versibus apostropha (*Sol*) ineunte fragmento collocata, apud Euripidem in tertii demum versus initio manifesta est. Verba, quae apostropham excipiunt, dei habitum et virtutes describunt. Hoc loco Accius relativo enuntiato usus est. Euripides autem respondenti loco participia adhibuit. Haec omnia sunt quae hymni indicia duci possunt. Duo, qui sequuntur versus, cum apud Euripidem, tum apud Accium enuntiationis formam efficiunt, quam in hymnis frustra quaeramus. Attamen commemoratos versus hypomnesis genus quoddam putare audeo, quamvis in Accii fragmento demonstrent potius vitia, quae deo a precatore obiciantur. Opinionem meam Euripidis tragoediae versibus (v. 4 sq.) nixus corroboro, ubi plane scriptum est malum augurium eodem die, quo Cadmus, Phoenicius advena, hanc terram incoluisse, a deis datum esse. Sed in ipso hypomnesis consilio dei gratia erga precatorem et precursoris erga deum conspicienda est, id quod causam, cur Sol in hac preicatione invocetur, demonstrat. Explicati versus mirabile quoddam hypomnesis genus repraesentant, utpote quae deum Thebanae terrae infestum esse ostendant. Quare locasta in Euripidis tragoedia et in Accii fragmento tragico persona nobis ignota dei irae causam quaerit. Eiusdem poetae *Baccharum* quintum fragmentum (Ribb., p. 193) apostropham ad Bacchum (*o Dionyse*) et epitheta (*optime, pater, vitisator, Semela genitus*) continet. Aliter incipit precatio in Accii *Aeneadarum* fragmento (fr. IV Ribb., p. 326)<sup>8</sup>. Descriptae sunt enim primo versu condiciones, in quibus precatio dicta est (*te venerans precibus*). Praeterea citatum fragmentum duo epitheta (*sancte, invicte*) et preces finali enuntiato expressas habet, quod a verbo precandi (*te invoco*) dependent. Sed cum in precum argumento de auguriis agatur (*portenta ut populo patriae verruncent bene*), in hac preicatione Apollinem invocatum esse verisimile est.

Ex quaestionibus adhuc explicatis concluduntur haec:

1. •Praeter precationes veras fragmenta quoque precatoria non solum in carminibus epicis, sed etiam in prisca tragoedia Romana inveniri possunt.
2. Precatoria fragmenta in Ennii fabularum incerti nominis reliquis, similiter

<sup>8</sup> Cf. *Praet. fab. fr.* 207 Diehl, p. 86.

atque in aliis ex notis iam nobis fabulis excerptis servata sunt. In earum numero cognoscimus fragmenta precationum a dramatis personis in patriam peregre redeuntibus dictarum, nonnullarum autem id genus precationum Graecos fontes demonstrare possumus. In reliquis Romanorum scaenicorum fragmentis perpaucae tantum precationes (apud Pacuvium duae, apud Pompilium una) occurrent. Ex ea re nihil reapse efficitur, cum fabularum scaenicarum reliquias maxime exiguae esse haud ignoremus.

3. Magis varia precationum exempla in Accii tragoeiarum fragmentis inveniri possunt. Unum laudati poetae fragmentum hymno simile est et ex Euripideae tragoeiae prologo sumptum et imitatione expressum.

4. In Romanae tragoeiae partibus precatorio-hymnicis apostrophas, maximam partem epithetis praeditas, preces, nonnumquam hypomnesin conspicimus. Raro autem describuntur causae, in quibus aliquis precatur.

### III

In Romana comoedia praeter precationes et alia etiam hymnis similia fragmenta plurima incantamenta inveniuntur. Optimum id genus religiosae formulae exemplum in Varronis *Rer. rust.* I 2,27 nobis servatum est (fr. 6 Diehl, p.4):

Ego tui memini	—	hypomnesis genus quoddam
medere meis pedibus	—	
Terra pestem teneto	—	incantamentum
Salus hic maneto	—	preces privatae
in meis pedibus	—	

Allato incantamento extenta forma est. Versu primo, secundo, quarto, quinto repetuntur partes in precationum structura usitatae. Ipsum autem incantamentum versu tertio continetur. Similiter composita incantamenta in Romana palliata non invenimus. Romana comoedia duobus incantamentorum generibus saepissime utebatur. Quorum unum multo brevius quidem, sed illi in Varronis opere servato similius est, secundum autem adeo iam contractum, ut religiosae formulae proprietatem omnino amiserit et popularium interpositionum munere fungantur. Primo generi annumerentur haec:

#### a) Iura iuranda:

Per Iovem iuro — *Amph.* 435, *Mex.* 655, 1025,

At ego per Mercurium iuro — *Amph.* 437,

Per supremi regis regnum iuro et matrem familias Iunonem — *Amph.* 831.

Per omnis deos adiuro — *Bacch.* 777,

Summum Iovem deosque do testis... — *Men.* 811 sq.,

Iuro per Iovem et Mavortem me nocitum nemini — *Mil.* 1414,

Do Iovem testem tibi — *Pseud.* 514,

## b) Optationes:

Quod ille faxit Iuppiter — *Amph.* 461,  
 Di te servassint semper — *Asin.* 654,  
 Ita di faxint — *Aulul.* 145, 257, 788 sq., *Capt.* 172, *Ciest.* 51, *Pseud.* 923,  
 Die bene vortant — *Aulul.* 175, 257, 272, *Pseud.* 646, *Trin.* 573, *Curc.* 729, fab. inc. fr. VI (Lind.),  
 Di te ament — *Aulul.* 183, *Bacch.* 111, 457, *Capt.* 138, *Mil.* 231, 501, 725, 1403, *Most.* 170, 341, 718, 806,  
     1130, *Persa* 16,492, 639, *Poen.* 289, 524, 827, 859, 1325, 1413. *Pseud.* 271, 943, *Stich.* 685, 754, 1294,  
     *Rud.* 1303, *Trin.* 1024,  
 Si te di ament — *Mil.* 293, *Poen.* 659,  
 Di me servant — *Aulul.* 207, *Merc.* 966, *Pseud.* 613, *Trin.* 384, Ita me di amabunt — *Aulul.* 496, 761,  
     *Merc.* 762, *Most.* 520, *Persa* 205, *Poen.* 439, *Trin.* 447,  
 Di faciant ut siet — *Aulul.* 545, *Mil.* 570, *Persa* 488, Tum me faciat quod volt magnus Iuppiter — *Aulul.*  
     776, *Most.* 222.  
 Ne di sirint — *Bacch.* 468, *Merc.* 323, 613, *Curc.* 27,  
 Di bene faciant — *Bacch.* 617, *Merc.* 285, *Persa* 652, *Poen.* 909, 911, *Mil.* 1419.  
 Deus respiciat nos aliquis — *Bacch.* 638.  
 [...] ita me Iuppiter, Iuno, Ceres, Minerva, Lato, Spes, Opis, Virtus, Venus, Castor, Polluces, Mars,  
     Mercurius, Hercules, Summanus, Sol, Saturnus dique omnes ament — *Bacch.* 892-895,  
 Di tibi omnes omnia optata afferant — *Capt.* 255,  
 Si di adiuvant — *Capt.* 587,  
 At ita me rex deorum atque hominum faxit patriae compotem — *Capt.* 622,  
 Di te omnes adiuvant — *Capt.* 859, *Epid.* 396, *Merc.* 401,  
 [...] ita me amabit sancta Saturitas [...]  
 Itaque suo me semper condecorat cognomine — *Capt.* 877 sq.,  
 At ita me di deaeque superi atque inferi et medioxumi,  
 Itaque me Iuno regina et Iovis supremi filia,  
 Itaque me Saturnus eius patruus et summus, pater,  
 Itaque me Ops opulenta illius avia [...] immo mater quidem  
 Iuno filia et Saturnus patruus et summus [Iup] pater — *Cist.* 512 sq.,  
 [...] ita me Iuppiter  
 Itaque me Iuno itaque Ianus ita [...] — *Cist.* 519 sq.,  
 Di me omnes, magni minutique et etiam patellarii faxint [...] — *Cist.* 522 sq.,  
 Nisi quid mi opis di dant disperii — *Cist.* 671,  
 At vos Salus servassit — *Cist.* 742,  
 At ita me mechaera et clupeus [...] (meus)  
 Bene iuuent pugnantem in acie [...] — *Curc.* 574 sq.,  
 At ita me volsellae, pecten, speculum, calamistrum meum  
 Bene me amassint [...] — *Curc.* 577 sq.,  
 Deos volo bene vortere istam rem vobis — *Curc.* 658,  
 Di tibi dent quaequomque optes — *Mil.* 1038. *Persa* 483, *Poen.* 208, 667, 687, 1055, *Trin.* 436, 1152,  
 Di faciant, ut id bibatis — *Persa* 823, *Poen.* 488,  
 Di meliora faxint — *Poen.* 1400, *Pseud.* 315,  
 Id te Iuppiter prohibessit — *Pseud.* 11,  
 At te di deaeque [...] servassint — *Pseud.* 37, 120,  
 Nisi omnes di me atque homines deserunt — *Pseud.* 381, 600,  
 Iuppiter te mihi servet — *Pseud.* 934,  
 Tantum tibi doni di inmortales duint — *Pseud.* 936,  
 At di dabunt — *Rud.* 107.  
 Di tibi argentum — *Rud.* 728,  
 Habeas quod di danunt boni — *Rud.* 1229,

Ita me di bene ament measque mihi bene servassint — *Stich.* 505,  
 Ita me Venus [...] amet — *Stich.* 742, *Truc.* 276,  
 Di fortunabunt vostra consilia — *Trin.* 576,  
 Di me salvum et servatum volunt — *Trin.* 1076,  
 Di tibi illum faxint filium salvom [...] — *Vid.* 86,  
 Cum dis volentibus — *Persa* 332,

### c) Supplicationes:

Di Inmortales, opsecro vostram fidem — *Amph.* 455, *Aulul.* 265, *Most.* 77, 530, *Truc.* 805, *Poen.* 967,  
 Pro di inmortales — *Amph.* 822, *Most.* 206, *Aulul.* 616, *Bacch.* 182, 244, 414, *Capt.* 697, 891, 902, 974,  
*Cure.* 274, *Men.* 473, 1001, 1062, *Mil.* 528, *Poen.* 988, *Rud.* 420, 458, 1191, 1293, *Stich.* 657, *Trin.* 160,  
 501, *Truc.* 770, 434.  
 Di inmortales — *Epid.* 626, *Men.* 1081, *Merc.* 537, *Most.* 912, *Persa* 565, *Poen.* 608, 923, *Rud.* 1360, *Truc.*  
 864, *Pseud.* 666, 688, 736, *Rud.* 1161, *Stich.* 625, *Trin.* 1030,  
 Summe Iuppiter — *Amph.* 780, *Merc.* 865, *Poen.* 1122,  
 Iuppiter pro Iuppiter — *Amph.* 791, *Cure.* 638, 655, *Pseud.* 574, *Aulul.* 241, *Men.* 413, 957, *Mil.* 1133,  
*Most.* 191,  
 Opsecro deos inmortales — *Bacch.* 905.  
 Per deos atque homines ego te optestor — *Capt.* 727,  
 Pro deum atque hominum fidem — *Cure.* 694, *Epid.* 580,  
 Per ego vobis deos atque homines dico — *Men.* 990, *Trin.* 520,  
 [...] te opsecro  
 Per deos atque homines perque stultitiam meam  
 Perque tua genua — *Mil.* 540 sq. (cf. *Most.* 743),  
 Opsecro — *Mil.* 1345, 1406, 1408, *Rud.* 351, 559, 571, 657, 687, 691, 740, 742, 867, 875, 878, 882, *Truc.*  
 175, 185, 296, 504, 595, 602, 722, 889, 949. *Rud.* 1162,  
 Ita me Iuppiter — *Poen.* 440,  
 Di vostram fidem — *Poen.* 830, 900, *Trin.* 591, 1070, *Truc.* 29, *Capt.* 418, *Poen.* 830.

### d) Devotiones:

Di me perdant — *Aulul.* 645, *Men.* 308, 451, 595, 666, *Pseud.* 1230,  
 Iuppiter te dique perdant — *Aulul.* 658, 785. *Capt.* 868, 909, *Cure.* 317, 622, 720, *Men.* 931, *Merc.* 710,  
 793, 967, *Mil.* 286, 833, *Most.* 38, 668, 684, *Persa* 292, 296, 298, 783, *Poen.* 588, 610, 863,  
 Male tibi di faciant — *Cure.* 130,  
 Hercules dique istam perdant — *Cas.* 275,  
 Utinam te di prius perderent [...] — *Capt.* 537,  
 Ut te bonus Mercurius perdat — *Cas.* 238.  
 Di me et te infelicit — *Cas.* 246, *Poen.* 449, *Rud.* 885, 1225,  
 Di deaeque omnes me pessumis exemplis interficiant — *Most.* 192,  
 Di te deaeque omnes faxint cum istoc omine — *Most.* 464,  
 Malum quod isti di deaeque omnes duint — *Most.* 655,  
 Di deaeque te agitant irati — *Persa* 666,  
 Di deaeque et te et [...] fratrem excrucient — *Persa* 831,  
 Diespiter vos perduit — *Poen.* 739, *Pseud.* 250, *Rud.* 569, 1112 *Pseud.* 836 sq., *Rud.* 1112,  
 [di te...] neque ament nec faciant bene — *Pseud.* 271,  
 Qui te di omnes perduint — *Rud.* 1166, *Stich.* 595, *Trin.* 992, 997, *Truc.* 331,  
 At ego deos quaeso, ut [...] omne id ut fiat cinis — *Rud.* 1256 sq.,  
 Ut illum di perdant — *Boeotia* I 1 (Ernout).

Ex litterarum monumentis excerpta exempla in quattuor genera perspicuitatis gratia, disposui, quamvis non dubitarem, quin in singulis incantamentis alicui generi subiciendis magis in opinione, quam in natura posita argumenta secutus essem. Sed demonstrari possunt nonnulla quoque singulorum incantamentorum indicia, ut verba (*iuro, adiuro*) in iuribus iurandis<sup>9</sup>, coniunctivus optativus (*faxint, vortant*) et grata in aliquem voluntas in optionibus, singularia verba finita (*opsecro, dico*) in supplicationibus, similiter atque in devotionibus (*perdant, perdunt, male faciant*) iram et invidiam exprimentia, quibus aliqua ex parte coactus enucleata exempla in membra dividere ausus sum. Omnia enarrata incantamenta a dramatis personis certo actionis loco sermocinantibus et sincero animi motu incitatis enuntiata esse videntur. Sed inveniuntur ea, quae ridiculam significationem habeant, aut iocose adhibita sint, ut *Bacch.* 892-895, *Capt.* 877 sq., *Cist.* 512 sq., 519-520, 576 sq. Nonnulla etiam morum studiorumque distantiam ostendunt, ut incantamentum lenonis et militis in *Curculione* 574 et 576 sq. In comoediis personae aut alios aut se ipsos exsecrantur, ut *Cas.* 246, *Poen.* 739 et al., quae res risum haud dubie movere possit. Incantamenta, quae optiones appellavimus, maximam partem enuntiati formam habent, in quo verbum modo optativo est. Sed inveniuntur quoque condicionalia enuntiata cum indicativo verbi modo, ut *nisi omnes di me atque homines deserunt* (*Pseud.* 381), aut enuntiata prima cum verbo finito in indicativo modo, ut *di homines respiciunt* (*Rud.* 1316), aut sententiae contractae, ut *cum dis volentibus* (*Persa* 332), *ita me Iuppiter* (*Poen.* 440) et similia. Magnus pro rata parte variorum incantamentorum numerus nullo pacto documento esse potest religiosos fuisse et poetas et spectatores et dramatis personas, cum id genus artificii remedia cotidianum personarum in scaena agentium sermonem potius depingant.

Terentiana incantamenta in eadem quidem atque apud Plautum sed tantum duo genera distinx: i

### a) Optiones:

ita di deaque faxint — *Hec.* 102,  
 [...] di vortant bene, quod agas — *Hec.* 196-197,  
 [...] ita me di bene ament... itaque una inter nos agere aetatem liceat — *Hec.* 206-207, similiter — *Hec.* 579, 642, 864,  
 di mala prohibeant — *Hec.* 207,  
 utinam istuc ita di faxint — *Hec.* 354,

<sup>9</sup> Memoratu dignum ius iurandum in Plautina *Rudente* 1338 sq. Legimus. Leno Labrax Venerem his verbis alloquitur:

- *Venus Cyrenensis, testem te testor mihi.  
 Si vidulum illum, quem ego in navi perdidì.  
 Cum auro atque argento salvom investigaverò.  
 Isque in potestatem meam pervenerit.  
 Tum ego huic [...] [...] ]*

Hoc loco leno certe vota facere cupivit, sed orationem eius piscator Gripus interruptus. Quo factum est, ut versibus demum 1343-1344 leno ius iurandum suum ad finem produceret.

### b) *Devotiones:*

di illum perdunt — *Hec.* 441,  
ut tequidem omnes di deaeque omnes superi atque inferi malis exemplis pardant — *Phorm.* 687-688,  
malum quod isti di deaeque omnes duint — *Phorm.* 976.

Optationibus variae apud Terentium personae in *Hecyra* utuntur: Sōstrata, Laches, meretrix, servus. Pro certo paene habere possumus Terentianis incantamentis veras personarum perturbationes expressas esse. Una in hac comoedia devotione impugnatur a servo Parmenone persona quaedam a Pamphilo facta, quam servus iuvenis iussu convenire debet. De duabus devotionibus in Phormione investigatis una iuvenis Antipho servo Getae iratus usus est, altera autem senex Demipho parasiti Phormionis audaciam castigavit. Itaque primum causa, cur adhiberentur, vera fuisse videtur, tum adeo rara sunt apud Terentium id genus incantamenta, ut a poeta reapse actionis rationibus coacto adhibita esse arbitrari possimus.

### IV

In nova comoedia Attica similia incantamenta trita quoque fuerunt, sed eorum numero Plautus Graecos magistros suos sine ulla dubitatione antecessit, id quod enarrato alio etiam incantamentorum genere (illa *edepol*, *hercle* et cet. dico) optime demonstratum erit.

Sed priusquam de ea re disserere aggredior, de ipsa quaestione generaliter pauca dicam. Trīta iam facta est in litteris opinio eiusmodi incantamenta, ut μὰ aut νὴ Δία, Ζεῦ, θεοῖ, πρὸς τῶν θεῶν, Ἀπόλλων, νὴ τὸν Ἀπόλλωνα et alia cum deis in precationibus et hymnis invocatis nihil commune habere. Quare re vera trītae iam in sermone enuntiationes factae sunt et usitatarum particularum partes agunt<sup>10</sup>. Similes incantamentorum formulae iam in vetere comoedia Attica inveniuntur et Iovis nomen, nonnumquam cum aliquo attributo coniunctum, saepissime in eis repetitur. Commemoratus in adn. 10 vir doctus Blaszcak septingenta id genus vocabula apud Aristophanem invenit<sup>11</sup>. Dei nomen his attributis persaepe

<sup>10</sup> Cf. W. Blaszcza k. *Götteranrufung und Beteuerung. Untersuchungen zu volkstümlichen Ausdrucksformen in der griechischen Literatur.* Diss. Breslau [1932], p. 1-2. Definitio in hac dissertatione proposita parum accurata mihi videtur, cum haec vocabula numquam incantamentorum vim in contextu amisisse opiner. Quare ea interpositiones potius appellari malio. In Romana palliata eandem quaestionem perscrutatus est quoque B. L. Ullman, *By Castor and Pollux*, Classical Weekly, vol. 37, 1944, June 5, p. 87-89, cum dissereret, quo incantamento (laudatus vir doctus id genus locutiones semper iura iuranda ducit) feminæ et viri libentissime uterentur. Exstat etiam vetustior dissertatio a A. Gagnéro conscripta, quae inscribitur *De hercle, mehercle ceterisque id genus particulis priscae poesis Latinae scaenicae*, Greifswald 1920. Sed citatae dissertationis auctor in horum vocabulorum etymologia, prosodia viue interpretanda maxime occupatus est. Quae res quaestioni a me propositae in nulla re adversantur. Gagnér disputat quoque, similiter atque Ullman, quae incantamenta mulierum, quae virorum propria fuerint.

<sup>11</sup> Ibidem, p. 6.

declaratur: φῖλος πολυτίμητος, rarius substantivo βασιλεὺς et σωτῆρ<sup>12</sup>. Sed fallitur W. Blaszcak, cum epithetum dei nomini additum res, quas deus adiuvare debeat, plane ostendere scribit. Recte autem arbitratur, cum has interpositiones (ea appellatione libentius quam voce particulae utor) in dialogo adhibitas sententiae cuidam affirmationis aut negationis sensum addere asseverat<sup>13</sup>. De incantamentis in Nova Comoedia Attica usitatis commemoravit et id genus incantamentorum-interpositionum numerum in ea circumscripum esse disputavit. Sed ea quaestio secundum meam opinionem gravibus argumentis comprobanda est. Quam rationem secutus omnia Menandri fragmenta perscrutatus sum et nunc iam pro certo habere possum apud Menandrum in eius modi incantamentis Iovis nomen saepissime vocari. Exempli causa a Menandrea *Dyscolo* explicata initium sumamus. Eo modo comperimus praeter Iovem etiam Apollinem, Aesculapium, Cererem, Bacchum, Vulcanum, Terram, Caelum in incantamentis vocari. Tota comoedia, quae 969 versus numerat, viginti sex incantamenta continentur. Singulorum deorum nomina frequentantur eo modo: Apollinis bis, Aesculapii semel, Cereris bis, Terraee semel, Bacchi semel, Iovis septies decies. Volcani semel, Caeli semel. Eadem ratione adhibita sunt in *Sicyonii* 421 versibus undecim incantamenta, quorum unum Minervam, septem lovem, duo Helium, unum Vulcanum invocant. In *Scuto* duodeviginti incantamenta in 544 comoediae versibus inveni. Iuppiter vocatur octies, omnes dei quinques, Minerva semel, Bacchus semel, Helius bis. Hercules semel. In aliarum comoediarum fragmentis incantamentorum frequentia minor est. In fabula *Dis exapaton* inscripta duo tantum incantamenta, in quibus omnes dei invocantur, invenimus. Similiter res se habet in aliis fragmentis: *Georgos* quattuor (bis Apollo, bis dei invocantur), *Heros* duo (semel Apollo et semel Iuppiter), *Colax* duo (semel Helius et semel duodecim dei obsecrantur), *Coneiazomenae* unum (dei vocantur), *Misumenos* octo (semel dei, bis Apollo, quater Iuppiter, semel Helius invocantur). Maiores incantamentorum numerum *Samia* habet. In 737 servatis versibus tricies incantamenta apparent. Bacchus invocatur quater. Hercules bis, Minerva semel, omnes dei decies, Iuppiter septies, Aesculapius semel, Helius semel, Neptunus bis, Apollo bis. In fragmentis comoediae *Phasma* dictae semel dei et semel Apollo vocatur. In reliquis incertis et dubiis fragmentis viginti sex incantamenta invenimus. Ex eorum numero undecim ad Iovem pertinent, unum ad Helium, quattuor ad deos, unum ad Terram, unum ad Vulcanum, duo ad Minervam, unum ad Cererem, unum ad Noctis personificationem, duo ad Vestam, unum ad Herculem, unum ad Apollinem et deos. Deorum epitheta inveniuntur haec: μέγιστος (Iuppiter), οὐρανός (Apollo), σωτῆρ (Iuppiter), πολυτίμητος (dei), δέσποινα (Nox), φῖλος (Iuppiter), κράτιστος (Iuppiter)<sup>14</sup>.

<sup>12</sup> Ibidem, p. 9-12.

<sup>13</sup> Ibidem, p.8 et 13.

<sup>14</sup> Menandri reliquias investigavi his editionibus nixus: *Menandri reliquiae selectae*, recens. F. H. Sandbach, Oxonii 1972; *Menandri reliquiae in Papyris et membranis servatae*, ed. Chr. Jensen, Borolini 1929; *Menander reliquiae*, ed. A. Koerte, Pars I-II, Lipsiae 1959.

E numeris modo allatis conficiuntur haec: 1. Nova Comoedia incantamentorum, ut cotidiani sermonis remediorum usum plane deminuit. 2. In incantamentis Iovis nomen omnibus aliis quidem praestat, sed aliorum quoque deorum nomina, etiam personificationis (cf. Fr. papyr. inc. auct. 4 Sandbach) manifesta fiunt. Accedit quoque, ut omnes dei nonnumquam libentius invocentur, ut in *Samia* (*νὴ τὸς θεὸς* ter, *μα τὸς θεὸς* ter, *πρὸς θεωντερ*, *μὰ τὸς δώδεκα θεοὺς* semel), in quod circa triginta tres centesimas omnium incantamentorum in hac comoedia occurrentium facit. 3. In explicatis fragmentis inventa sunt quoque iura iuranda cum peculiari verbo *ομήσω* (*Colax* fr. 46 Sandbach) et precatoriae paene apostrophae, ut Ὡ Ήρακλεῖς, Ὡ Ζεῦ σῶτερ et al. nonnullis locis<sup>15</sup>. 4. Invocato deo addita epitheta trita potius mihi videntur et nihil est, quod ea latius patere asseveremus.

Aliorum Novae Comoediae poetarum explicata fragmenta minore effectu probantur. E paucis enim fragmentis nihil certi enucleari potest, quod ad alicuius poetae naturam demonstrandam aptum videatur. Quae opinio comprobetur his argumentis: in ducentis quadraginta septem fragmentis Philemonis<sup>16</sup> tredecim tantum incantamenta inveni. Casu vocativo cum attributo aut sine attributo quinque incantamenta sunt. Usitatam formam *νὴ* aut *μὰ* cum casu accusativo substantivi septem incantamenta habent. Praepositio *πρὸς* uni tantum incantamento est. In singulis incantamentis Minerva et Helius, in tribus dei, in septem Iuppiter, in singulis Hercules, Apollo deique invocantur. Unam insuper precationem Dianaē in Philemonis fragmento inveni (fr. 67 Edm.).

In centum duodequadraginta Diphili fragmentis octo incantamenta obvia sunt. In eis forma *μὰ* aut *νὴ* cum accusativo, aut *πρὸς* cum genetivo adhibetur. Sex incantamentis Iuppiter, uno Vesta et dei vocantur. In explicatis Diphili fragmentis duae praeterea precationes ad Bacchum (fr. 86) et personificationem *Αέρα* (fr. 126 B) directae inveniuntur. Uterque igitur poeta comicus Graecus, cuius vestigia Plautus presserat, modice id genus locutionibus utebatur.

Apud reliquos novae comoediae poetas incantamenta rarissime occurunt. Apud Philippidem, Apollodorum Carystium, Phoenicidem, Batonem, Euphronem, Nicolaum singula tantum, apud Damoxenum et Nicomachum bina conspicimus. In deorum, qui invocantur, numero appareat Iuppiter, omnes dei, Hercules, praeterea Ceres et Venus. Quae res comparatione, quae sequitur, optime illustrabitur: In laudatorum poetarum fragmentis Ceres, Venus, Minerva, Hercules semel, Iuppiter autem et omnes dei ter invocantur. Incantamentorum forma apud omnes novae comoediae poetas eadem est.

Anonymi novae comoediae poetae semel et vicies incantamentis usi sunt, in quibus ter Minervae, quater Herculis et deorum, octies Iovis nomen frequentatur.

<sup>15</sup> Cf. *Samia* 178, 408, Fab. inc. 56, 62 (Sandb.), Fr. 532, 2, 536, 7, 535,5 (Kock), Fr. Papyr. inc. auct. 4, inc. auct. fab. fr. b 3 et b 10 (Sand., p. 338).

<sup>16</sup> Combediae novae fragmenta afferro secundum editionem *The Fragments of Attic Comedy* by J. M. Edmonds, vol. III A, Leiden 1961.

Precationes autem apud Sosipatrem (*False accus.* 24) Apollinis et in incerto fr. 103 E, 22 Iovis invenimus. Omnibus novae comoediae fragmentis investigatis incantamentorum numerum in Graeca comoedia morali valde circumscriptum esse arbitrari possumus, quae res urbanitatis curam significare quis est, quin ignoret.

## V

Adhibitorum incantamentorum numero omnes poetas Graecos Plautus certe praecedit. In omnibus eius fabulis una cum fragmentis mille septuaginta tria incantamenta sunt<sup>17</sup>. Itaque saepius his locutionibus usus est, quam Aristophanes. In Plautinis incantamentis Castor, Pollux Herculesque invocantur, cum his enim nominibus coniuncta sunt apud Plautum illa *ecastor*, *edepol*, *mecastor*, *pol*, *hercle*, *mehercle*. Quibus incantamentis praecipue abundat Plautina *Miles Gloriosus* (97), quam sequuntur: *Rudens* (88), *Poenulus* (88), *Mercator* (84), (*Mostellaria* (81), *Truculentus* (81), *Epidicus* (72). In *Amphitrone* autem vix quattuor id genus incantamenta, quae semper iam interpositiones appellare par est, invenimus<sup>18</sup>. Frequentia omnibus interpositionibus vox *hercle* excellit (499). Secundum locum obtinet *edepol* (303), tertium *pol* (189), quartum *ecastor* (62), quintum *mecastor* (17), sextum *mehercle* (3). Talibus incantamentis variae dramatis personae utuntur, in primis autem servi, lenones, iuvenes<sup>19</sup>. Quae in alacribus dialogis maximam partem in usu fuerunt, qua re animi motus personarum in fabula agentium a poeta depictedos esse arbitremur necesse est. Quae res tum praecipue perspicua fit, cum plura incantamenta finitimiis textus locis congregata sunt. Incantamentum *hercle*, ut exemplo utar, eo modo adhibetur in *Cistellaria*, *Menaechmis*, *Mercatore*, *Milite Glorioso*, *Poenulo*, *Rudente*, *Trinummo*, *Sticho*, *Persa*, *Pseudolo*. Invenimus quoque apud Plautum incantamenta Graeca, quae cum mytho nihil commune habent, ut ναὶ τὰν Κόρων, ναὶ τὰν Πραιεστην, ναὶ τὰν Σιγνίαν, ναὶ τὰν Φρονσινῶνα ναὶ τὰν Ἀλάτριον (Capt. 881-883). Similis coniunctio confusioque incantamentorum in Menandrea *Samia* 91-95 demonstrari potest. Itaque Plautus Graeca risus movendi ratione usus esse videtur. Alia etiam Graeca incantamenta (μὰ τὸν Ἀπολλώ) in Plautina *Mostellaria* 972 et *Captivi* 880 occurunt. Saepissime iteratur in vicinis versibus interpositio *hercle*, *edepol*, rarius *pol* et *ecastor*. Aliae in his causis non adhibebantur.

Enarrata adhuc incantamenta nullo pacto dramatis personarum religionem, raro sincerum animi motum illustrant. Saepissime enim popularium locutionum officio

<sup>17</sup> Multo maiorem numerum apud utrumque poetam, nescio quo modo, invenit A. Gagnér, o.c., p. 109.

<sup>18</sup> In reliquis comoediis ita res se habet: *Asinaria* 12, *Aulularia* 52, *Bacchides* 43, *Captivi* 29, *Casina* 10, *Cistellaria* 30, *Curculio* 23, *Epidicus* 23, *Persa* 58, *Pseudolus* 67, *Stichus* 54, *Trinummus* 68, *Fragmenta* 3.

<sup>19</sup> Cf. A. Gagnér, o.c., p. 81 sq. et 99 sq., qui de ea re diligentissime disputavit et singularum fabularum locos attulit.

funguntur, praecipue autem risus evocandi causa usurpantur, praesertim cum deus per se ipsum iuret, ut Mercurius in *Amphitruone* 436 (*at ego per Mercurium iuro*)<sup>20</sup>.

Incantamenta-interpositiones, ut *hercle*, *pol*, *ecastor*, *mecastor*, *mehercle*, *edepol* etiam apud Terentium tritae fuerunt. Terentius similiter atque Plautus interpositione *hercle* libentissime utitur (centies), in *Andria* vices, in *Hecyra* autem tantum septies. Secundum tritum apud Terentium incantamentum est vox *pol* (semel et quinquages), in *Hecyra* quinques decies in *Heautontimorumenos* et *Adelphois* ter. Tertium locum tenet *edepol* (bis et vicies), in *Hecyra decies*, in *Phormione* et *Heautontimorumenos* semel. Ex reliquis vox *ecastor* omnino sexies, *mehercle* bis, *mecastor* semel adhibetur. In omnibus Terentii comoediis centum octoginta duo id genus interpositiones occurunt. Incantamentorum numerus in singulis Terentii comoediis eo modo describatur: *Eunuchus* 44, *Hecyra* 37, *Adelphoe* 28, *Andria* 27, *Phormio* 26. *Heautontimorumenos* 20. Addendum est quoque interpositionis officio fungi apud Terentium ipsum verbum *obsecro* (novies et sexagies adhibitum), quod acriorem sensum dat, quam verbum *quaeso* nonnullis locis inventum. Incantamentorum confusio in vicinis versibus sola *Andria* apud Terentium corroborari potest. Ex his omnibus concludere possumus primum Terentium non tam copiam quam modum quandam in adhibendis incantamentis, Menandrum secutum, quaevisisse (quae res poetae diligentiam, ut dramatis oratio urbana sit, optime corroborat), deinde fuisse Terentio nonnulla incantamenta praecipue grata, ut *hercle* (similiter apud Plautum), aut *pol* (aliter apud Plautum), tum circumscripto in Terentianis fabulis incantamentorum numero fabulae personarum sedatos mores quoque demonstrari posse, postremo, cum his locutionibus variae comoediae personae utantur<sup>21</sup>, easdem nullo modo singularum personarum dicendi rationem declarare, sed potius cum perplexiore fabulae nodo, aut vividiore comoediae actione co-nunctas esse. Ei rei documento esse possunt comoediae: *Eunuchus*, *Adelphoe*, *Andria*, *Phormio*, in quibus incantamentorum frequentia maior est.

## VI

Restat, ut de precatorio-hymnicis partibus in comoediis Plautinis et Terentianis pauca dicam. Quarum Euclionis precatio (*Aulul.* 394-396) optimum exemplum fit:

Apollo, quaeso, subveni mihi atque adiuva,  
Confige sagittis fures thesaurarios,  
si cui in re tali iam subvenisti antihac.

Citatum comoediae fragmentum continet apostropham ad Apollinem, cuius insignia precursor verbis *confige sagittis* ostendit, id quod deum armatum esse

<sup>20</sup> Similiter legitimus in *Aphitruone* 933 sq., ubi Iuppiter eo modo iurat:

Id ego si fallo, tum te, summe Iuppiter.  
Quaeso Amphitruoni ut semper iratus sies.

<sup>21</sup> Cf. A. Gagner, o.c., p.106 sq.

demonstrat. Inveniuntur in hoc fragmento insuper quattuor verba precandi, unum commune (*quaeso*) et tria singularia precum materiam plane exprimentia (*subveni, adiuva, confige*). Tertiam fragmenti partem preces complent. Primum Euclio deum rogat, ut sibi auxilium ferat, tum, ut thesauri sui fures puniat. In eodem fragmento etiam hypomnesis non est omissa ( *si cui in re tali iam subvenisti antihac* ). Par quoque videtur, ut hoc loco sex breves precationes deae Fidei commemoretur<sup>22</sup>. Quae a duabus personis, Euclione et servo Strobilo pronuntiantur. Primus Euclio tertio fabulae actu exeunte (vv. 584-586), cum thesaurum suum in Fidei templo abdere cuperet, precabatur his verbis:

Fides, vovisti me et ego te: cave sis tibi,  
Ne tu inmutassis nomen, si hoc concreduo.  
Ibo ad te fretus tua, Fides, fiducia.

In primo et tertio precationis versu eadem apostropha ad deam Fidem iteratur. Primam apostropham excipit hypomnesis, quae ex tribus partibus constat. In prima Euclio se deae fidum esse asseverat, in secunda admonet deam, ne fallacem se praebeat, in tertia autem iterum se deae confidere dicit. In prima quarti actus scaena (vv. 587-607) Strobili soliloquium ad finem productum est. In secunda autem eiusdem actus scaena (vv. 608-615) longiorem quaestionem Euclio loquitur, in cuius versibus 608, 611, 614 eiusdem precationis tertio iam actu exeunte (videas supra) inceptae reliqua membra perspicua sunt. De hypomnesi et apostropha enarratae precationis iam scripsimus, nunc de tribus precibus huiusc prelatorii fragmenti dicere arridet. Euclio precatur primum, ut dea nemini ostendat in templo Euclionis thesaurum occultum esse, tum, ne ullus fur hunc thesaurum surripiat, post ut ipse aulam suam recuperet. Duas, quae restant precationes facit Strobilus, qui Euclionis verbis subauscultatis adhortatus est deam (v. 618), ut sibi potius, quam domino, fidior esset, postea autem votet (vv. 621-622) se deae sacrificium perpetraturum esse, si se Euclionis thesaurum rapere sinat.

Explicatum comoediae fragmentum ridiculum est, quod avarus Euclio deam tantum rogat nullo voto facto. Ex ea re servus precum sensu malitiose mutato sibi commodum capere vult. Strobilus praeterea etiam ineunte quinto fabulae actu deis gratias agit (v. 808).

Precationem personae peregre in patriam redeuntis in *Bacchidibus* 170-177 habemus. Servus Chrysalus eam pronuntiat. Quae ex duabus apostrophis constat. Prima terram, ubi semper vitam agit (*erilis patria*) salutat. Ex attributo, relativo enuntiato expresso efficitur, ut Chrysalus duos annos extra patriae fines degerit. Servus praeterea se Ephesum venisse dicit. Secundam apostropham Chrysalus ad Apollinem (*vicine Apollo*) dirigit, cuius ara in scaena invenitur, quae res ex relativo enuntiato (*qui aedibus propinquus nostris accolis*) concludi potest. Primam apostropham duae salutationes (*salve et quam [...] conspicio lubens*) excipiunt.

<sup>22</sup> Videas velim *Aulul.* 584-586, 608, 611, 614, 618, 621-622.

Secunda apostropha ad Apollinem dicta Chrysalus duobus verbis usus est, quorum primum (*saluto te*) verbum salutandi, secundum autem (*venerorque te*) verbum precandi recte appellare possumus. Precum, quae sequuntur, materies ad res cum fabulae actione coniunctas pertinet<sup>23</sup>.

Brevem Philocratis precationem, quae ex hypomnesi et precibus constat, in *Captivis* 242-243 invenimus. Solam hypomnesin Ergasili precatio (*Capt.* 768 sq.) continet. In eadem comoedia (v. 976) apostropham tantum et preces Hegionis precatio habet<sup>24</sup>. In gratulatione ab Eutycho (*Merc.* 842-843) edicta apostropha quidem non est conspicua, sed relativo enuntiato, quo dea declaratur (*divom atque hominum quae speratrix atque era eadem es hominibus*) explicato Venerem ab Eutycho celebratam esse suspicari possumus. Versu octingentesimo quadragesimo tertio Eutychus Veneri gratias agit, quod dea sibi spem allata sit<sup>25</sup>.

Precationis parodiam agnosco Milphidippae (*Mil.* 1054-1055) verba, quibus specie Achillem, re vera autem Pyrgopolinicen meretrix invocat. Quae ridicula precatio ex tribus apostrophis (*mi Achilles, urbicide, occisor regum*) et tribus precibus constat<sup>26</sup>. Ridicula precatio Veneris gratulatio a meretrice Arcoteleutio in eadem comoedia (v. 1228 sq.) facta haberi potest.

Theopropidis verba (*Hercules, te < d > invoco — Most.* 528) hymni invocantis initium in mentem revocant. Invocationem hanc repetit quoque Tranio, sed preces insuper addit (ibidem v. 529).

Extentam apostropham in servi Sagaristionis precatione (*Persa* 254-256) conspicimus. Servus Iovem precatus variis Epithetis eum appellat (*opulentus, inclusus, Ope gnatus, supremus, validus, viripotens, opes, spes bonas, copias commodans*), quae dei potentiam et magnanimitatem demonstrant. Versu ducentesimo quinquagesimo quarto sacrificium praedicitur, duobus autem sequentibus versibus pronuntiatae precationis causa illustratur.

Precationem, qua advena ignotae sibi terrae deos salutat in *Poenulo* 950-955 legimus. Hanno primum deos deasque veneratur, deinde preces pronuntiato incantamento (*di vostram fidem*) enumerat. Idem Hanno (*Poen.* 1187-1190) eo modo precatur:

<sup>23</sup> Cf. *Stich.* 649-650.

<sup>24</sup> Similia precationum exempla videmus *Cist.* 573 et 663, *Circ.* 639, *Epid.* 196, 52, *Men.* 1014, *Merc.* 678 sq. et 850. Ex duabus apostrophis autem et precibus Charini precatio (*Merc.* 834 sq.) constat.

<sup>25</sup> Similes gratulations occurunt quoque *Persa* 755-756, *Poen.* 1254 sq. et 1274-1276, *Rud.* 906-913. Gratulatio in *Rudente* obvia et epitheta et hypomnesin et gratulationis susceptae copiosam confirmationem accepit.

<sup>26</sup> Similem precationis parodiam *Most.* 438-439 invenimus. Qua servus Tranio Theopropidis gratulatione audita usus est. Precatio Neptuni occurrit *Most.* 431-437. Hoc loco Theopropides deo pro felici reditu gratias agit. Commemorata precatio apostropham, gratulationem, gratulationis confirmationem, vota, praeterea sui generis salutationem continet hoc exemplo: *quod crediturus tibi fui, omne credidi*. Cf. etiam *Stich.* 402-405, ubi praeter Neptunum etiam Tempestates et Mercurius invocantur, id quod mercatorio navigationis consilio explanari potest.

Iuppiter, qui genus colis alisque hominum, per quem  
 vivimus vitalem aevom,  
 Quem penes spes vitae sunt hominum omnium, da diem  
 hunc sospitem quaeſo,  
 Rebus meis agundis, et quibus annos multos carui quasque  
 e patria  
 Perdidi parvas, redde is libertatem, invictae praemium  
 ut esse ſciam pietati.

In laudata precatione apostropham (*Iuppiter*) et dei epitheta videmus, quibus eius potentia et auctoritas exprimuntur. Verba autem: *da diem hunc sospitem, quaeso et redde is libertatem* preces continent. Enuntiatum autem, in quo de filiabus per multos annos a se quaeſitis sermo est, tamquam hymnicae partis mediae precursoris dolores depingentis officio fungitur. Denique verba: *invictae praemium ut esse ſciam pietati* hypomnesis sine ulla dubitatione duci possunt.

Pii spiritus exemplum sunt servi Sagaristonis verba (*Rud.* 160-161). Qui apostropham ad Polemonem, Neptuni et Herculis sodalem habet. In hoc spiritu primum locum exclamatio (*quod facinus video*) obtinuit, cum servus mulieres fractis navibus enatantes conspiceret<sup>27</sup>.

Denique ad explicandam Charmidis gratulationem (*Trin.* 820-839) aggredior, quam senex, cum ex itinere in patriam rediret, pronuntiavit. De id genus precationibus iam antea quidem disserui, sed eam diligentius interpretari placet, utpote quae sola paene apud Plautum clariora hymni indicia habeat. Gratulationis naturam in hoc fragmento definiunt haec verba: *laetus lubens laudes ago et grates gratiasque habeo* (v. 821). Dei invocati nomen, quippe quod cum verbis modo allatis coniungatur, casu dativo est. Itaque casus dativus *Neptuno* hoc loco apostrophae partes agit. Dei nonimi addita sunt epitheta ad genealogiam pertinentia, ut *Iovis fratri et Nerei*, praeterea duo epitheta (*salsipotenti, multipotenti*), quae Neptuni, maris dei potentiam exponunt. Secunda apostropha ad maris undas (*fluctibus salsis*) directa est. Gratulationis calebrandae causa versibus 822-823 confirmatur. Versibus autem 824-827 hypomnesis continetur, in qua senex omnibus ingratis de deo opinionibus beneficia a Neptuno accepta opponit. Versibus 828-830 commemorantur Neptuni virtutes, ut misericordia in pauperes, invidia in divites, iustitiaque erga omnes homines. Versu octigentesimo tricesimo primo tamquam pars media incipit, in qua Charmides iterum de Neptuno a multis vituperato et sibi gratissimo dicit (vv. 831-838). At versus octingentesimus undequadragesimus mirabile salutationis genus cificit: *Apape a me sis*, qui una cum versu sequenti Charmidem navigare iam nolle demonstrat.

Apud Terentium similes precationes praecipue autem precatorio-hymnica fragmenta rarius occurrunt. Paucarum lyricarum insertionum exempla in *Hecyra*, *Entucho*, *Adelphois*, *Phormione* inveniuntur. Praeter simplices gratulations, ut *dis*

<sup>27</sup> Cf. etiam *Rud.* 1298.

gratiā habeo (*Hec.* 346), *habeo gratiam dis* (*ibidem* 653), *dis magnas merito gratias habeo atque ago* (*Phorm.* 894) pauci in Terentii comoediis inveniuntur loci, qui precatorio-hymnica fragmenta dici possint, quippe qui nonnullas tantum precatio-  
num, aut hymnorū proprietates habeant. *Hecyrae* versum trecentesimum duo-  
dequadragesimum dico: *quod te, Aesculapi, et te, Salus, nequid sit huius oro*, quem  
Sostrata nurus morbo commota dicit. In citato versu duas apostrophas, verbum  
precandi precesque invenimus. Denique commemoratu digna duo precatoria sus-  
piria videntur, quae in *Eunicho* 1048 sq. ([...] *O Iuppiter, serva, obsecro haec bona nobis*) et in *Adelphois* 790 (*O caelum, o terra, o maria Neptuni*) exstant. Sed haec  
hactenus.

De minoribus poetis scaenicis unus Turpilius in *Leucadia* (fr. XII, 4 sq., Ribb., p. 116) hymnicos versus adhibuit:

Te, Apollo sancte, fer opem, teque, omnipotens Neptune,  
invoco,  
Vosque adeo venti [...] [...]  
nam quid ego te appelle, Venus?

Allatum fragmentum quattuor apostrophas habet, ad Apollinem, Ventos, Neptunum, Venerem. Apostropha ad Venerem non est quidem clare expressa, sed pre-  
catoris interrogatione haud dubie plana invocatio continetur. Epitheta duobus tan-  
tum deis addita sunt, Apollini (*sancte*) et Neptuno (*omnipotens*). In hoc fragmento  
poeta trium apostropharum communi verbo *invoco* usus est, qua re totum frag-  
mentum hymno advocanti simile fit. Commune est quoque verbum precandi (*fer opem*), quod persona et numero cum unius tantum dei nomine congruit.

Ex omnibus, quae explicata et enarrata sunt colligi possunt haec: 1. in comoediis Plautinis inveniuntur precatio-nes pro rata parte satis extensae (*Amphitruo*), precatio-nes a personis peregre redeuntibus factae (*Baedides*), breves gratulationes, quae ex apostropha, precibus, nonnumquam etiam hypomnesi constant. Precatio saepe risus movendi causa a poeta componitur, exempli gratia cum Milphidippa Achillem-  
-Pyrgopolinicum precatur (*Mil.* 1054-1055). Ridiculam precatio-rem insuper meretrix Acroteleutium (*Mil.* 1228 sq.) pronuntiat. Sunt quoque apud Plautum hymni  
advocantis vestigia (*Most.* 528). Admodum auctam exaggeratamque, similiter paene  
atque in Orphicorum hymnis, apostropham servi Sagaristionis precatio (*Persa* 254-  
-256) habet. Hymno similis est praeterea Hannonis precatio in *Poenulo* 1187-1190. 2 . In comoediis Plautinis omnino undeviginti precatio-nes existunt. In quorum  
numero tres hymnis similes sunt, tres autem a personis peregre in patriam rede-  
untibus edicuntur. 3. Terentius precatoriis insertionibus tantum in *Hecyra*, *Eunicho*,  
*Adelphois*, *Phormione* usus est. Quibus quattuor gratulationes et tres precatio-nes  
annumerentur necesse est. Hymnica fragmenta apud Terentium frustra quaeras. 4.  
Apud posteriores scaenicos poetas Romanos excepto Turpilio nullum precatorium  
fragmentum inveniri potest. Itaque mihi persuasum est neque precatio-nes neque  
hymnos in vetere Romanorum comoedia trita artificii remedia fuisse.

## ZAKLĘCIA I MODLITWY W NAJSTARSZEJ POEZJI RZYMSKIEJ

### Streszczenie

Na podstawie analizy tekstu utworów poetyckich oraz fragmentów nie zachowanych w oryginalu dzieł poetów rzymskich epoki archaicznej autor artykułu stwierdza na wstępie, że w zabytkach najstarszej poezji łacińskiej można znaleźć jedynie pewne ślady poezji hymniczej, i to z dwóch powodów. Po pierwsze większość tekstu archaicznej poezji rzymskiej nie dochodziła się do naszych czasów. Szczególnie interesujące byłyby tu teksty poezji sakralnej. Po wtóre zachowane fragmenty poetyckie reprezentują raczej zaklęcia i modlitwy, natomiast bardzo rzadko pojawiają się teksty mające pewne cechy hymnów. Zaliczyć tu należy pieśni Saliów i Braci Rolnych, a zwłaszcza nie zachowaną pieśń chóralną pióra Liwiusza Andronikusa z 207 r. przed Chr. Informację o tym utworze zawdzięczamy historykowi epoki augustowskiej Liwiuszowi (*a.U.c.* XXVII 37). Ten sam autor (*a.U.c.* XXXI 12) podaje, że w 200 r. przed Chr. autorem podobnej pieśni był P. Liciniusz Tegula. Wczesnochrześcijański natomiast pisarz Izidor z Sewilli (*Orig.* I 39.17) podaje, że autorką hymnów była Merumnia, o której poza tym nic nie wiemy. Liwiusz w cytowanym miejscu ocenił krytycznie utwór Liwiusza Andronikusa, ale o wartości pieśni chóralnej P. Liciniusza Teguli, czy też P. Liciniusza Imbrex, autora palliaty, identyfikowanego często z Liciniuszem Tegulą, podobnie zresztą jak o walorach twórczości Merumnii, nie posiadam żadnych informacji. Nie są nam również znane ani właściwości, ani kompozycja wspomnianych utworów. Nieco wyraźniej rysują się nam pewne cechy hymniczne fragmentu pieśni Saliów (fr. 1) oraz hymnu do boga Tiberinusa (fr. 2). Zbiorową apostrofę do bogów zawiera fragment trzeci Q. Valeriusa Soranausa, który autor artykułu dokładnie analizuje. Szczegółowej analizie poddał również modlitwę przekazaną przez Katona Starszego (agr. 141). Z kolei omawia i komentuje fragmenty prekacyjne w najstarszej poezji epickiej, u Enniusza (*Annal.* fr. 18, 19, 35, 169).

W drugiej części artykułu zostały opracowane prekacyjne fragmenty występujące w poezji dramatycznej, a więc inc. fr. XVII i XLI. Poza fragmentami nieznanych sztuk i autorów omówione zostały elementy prekacyjne fragmentów tragedii poszczególnych poetów, jak Enniusza (*Hectoris lutra* III. *Hec.* II. *Medea exul* XIV, *inc fab.* VII, CXLI, CXIX), Pakuwiusa (*Medus* II, *Paulus* I), Pompiliusza (fr. I) i Akcjusza (*Phoen.* I, *Aenead.* IV, *Bacch.* V).

Z analizy dotychczas wspomnianych materiałów wynikają następujące spostrzeżenia: obok modlitw sensu stricto występują w najstarszych zabytkach literatury rzymskiej modlitewne fragmenty także w eposie, a zwłaszcza w poezji dramatycznej. Pojawiają się one we fragmentach tragedii Enniusza o nie znanych nam tytułach. Są wśród nich obok innych również fragmenty modlitw wygłaszanego przez bohaterów dramatu powracających z obyczyny (motyw zresztą znany w fabułach greckiej tragedii). Fragmenty modlitewne występują u Enniusza także w tragediach, których tytuły i garsć fragmentów znamy. Bardziej urozmaicone przykłady modlitw spotykamy we fragmentach tragedii Akcjusza. Jeden z fragmentów tego poety (*Medea* XIV) ma charakter hymnu i jest przeróbką partii chóralnej z *Medei* Eurypidesa (1251 sg.). W partiach modlitewno-hymnicznych tragedii rzymskiej występują apostrofy, przeważnie z epitetami, i prośby, niekiedy hypomneza; ewentualnie poeta przedstawia okoliczności, w których modlitwa została wypowiedziana.

W trzeciej części artykułu zajął się autor fragmentami prekacyjnymi i hymnicznymi w komedii rzymskiej, poświęcając zarazem dużo miejsc tzw. zaklęciom. U komediopisarzy rzymskich pojawiają się dwa rodzaje zaklęć. Jedne, wprawdzie krótkie, przypominają swymi właściwościami sakralną formułę zaklęcia zachowaną u Warrona (*Rer. rust.* I, 2,27), drugie natomiast dzięki swej maksymalnej zwięzości zatrąciły swój sakralny charakter i spełniały niekiedy rolę niemal popularnych partykuł. Z kolei zestawia autor artykułu listę obydwu rodzajów zaklęć występujących u Plauta według podziału na przysięgi, życzenia, błagania, przekleństwa. Zebrane i skomentowane przykłady pozwalają sądzić, że niektóre zaklęcia w komediach Plauta służą charakteryzowaniu nastroju, inne zaś stanowią środek wywoływanego efektów humorystycznych, a zdarza się, że charakteryzują bohaterów komedii. Omówieniem popularnych formuł zaklęć oraz ich konstrukcji gramatycznej kończy się ten akapit.

W czwartym rozdziale polemizuje autor z uczonymi, którzy nie określili precyzyjnie roli popularnych zaklęć, a poza tym, szukając analogii w literaturze greckiej, pominęli prawie zupełnie nową komedię. Uzupełniając tę lukę, autor artykułu daje pełny materiał zaczerpnięty z całej dotychczas znanej twórczości Menandra i z wszystkich fragmentów przedstawicieli nowej komedii attyckiej. Szczegółowe porównanie ilościowe zebranych materiałów pozwoliło na sformułowanie sądu, że dowodem dążenia przedstawicieli nowej komedii do elegancji wypowiedzi poetyckiej jest między innymi również znaczne ograniczenie użycia popularnych zaklęć. W zaklęciach przeważa imię Zeusa, choć nie brak także imion innych bóstw, a nawet personifikacji. Prócz zaklęć pojawiają się u greckich komediopisarzy niekiedy przysięgi.

Porównanie popularnych zaklęć w komedii greckiej i plautyńskiej w piątym rozdziale daje dowód, że Plautus używa ich częściej nawet niż Arystofanes. Zaklęcia u Plauta występują najczęściej w środku wypowiedzi, rzadziej na początku, a najmniej jest ich na końcu zdania. Najbardziej popularnym zaklęciem u Plauta jest formula *hercle*, drugie miejsce zajmuje *edepol*, dalsze *ecastor*, *pol*, *mecastor*, *mehercle*. Okazuje się poza tym, że zaklęciami operują wprawdzie różne postacie komedii, ale najczęściej pojawia się ono w wypowiedziach niewolników, stręczycieli i młodzieńców. Występują one przeważnie w ożywionych dialogach i w dużej mierze odzwierciedlają podniecenie psychiczne partnerów. Mają też niekiedy posmak humorystyczny.

Terencjusz używa tych samych zaklęć, co Plautus (tu autor podaje znowu szczegółową ich listę), ale jest ich w jego komediach bez porównania mniej (ogółem 182, u Plauta 1073). Terencjusz więc, podobnie jak Menander, dba o kulturę języka. Zaklęcia u Terencjusza nie służą charakterystyce postaci, ale stanowią dowód ożywionej akcji sztuki.

Szósty rozdział artykułu poświęcony jest omówieniu już ściśle modlitewno-hymnicznych partii w rzymskiej palliacie. Zanalizowano pod tym kątem widzenia fragmenty komedii Plauta (*Aulul*. 394-396, 58 4-586, 608-614, 618, 621-622, *Bacch*. 170-177, *Capt.* 242-243, 768 sq., *Merc.* 842-843, *Mil. Glor.* 1054-1055, 1228 sq., *Most.* 528 sq., *Persa* 254-256, *Poen.* 950-953, *Rud.* 160-161, *Trin.* 820-839).

U Terencjusza spotykamy bardzo niewiele tego typu fragmentów. Najbardziej ciekawe są następujące partie: *Hec.* 338, *Eunuch.* 1048 sq., *Adelph.* 790. Z późniejszych komediopisarzy jedynie u Turpiliusza w *Leukadii* można wskazać krótki fragment przypominający początek hymnu.

Spośród komediopisarzy rzymskich jedynie Plautus dostarcza dość urozmaiconego materiału ilustrującego interesującą nas problematykę. Ograniczona liczba lub zupełny brak przykładów hymniczno-modlitewnych fragmentów w komediach innych poetów może, pomimo niepełnej podstawy tekstowej, świadczyć o tym, że typowe modlitwy czy hymny nie były zbyt popularne w rzymskiej komedii.